



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

De jurgiis contra doctrinam Tamburini, deque consequentiis impiis, quæ
ex illa malè intellecta, Baronius deducit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

Quare hinc mihi nullum superest onus hunc libellum refellendi, solum enim per absolutam negativam pronuncio; & in Superioribus jam ostendi, si propositiones illas supra cap. 1. alias continebat huiusmodi Libellus, ut ibi jacent, eas non esse, nec sapere Tamburini Germanam Doctrinam, exceptis, ut modo notabam, paucis propositionibus, quas ex Superioribus colligere quis poterit.

2. Quod tamen profert hac occasione Baronius, æquis auribus audire non possum, nec debeo. Comparat Curatos illos cum sacris Inquisitoribus Italiae, & audeat dicere, eos non esse his inferiores. Hæc sunt ejus verba dicta pag. 73.

3. BARON. Nec Inquisitoribus Siciliae, & Italiae (quorum suffragium commentitium censeo) hi Curati Parisienses pietatis, eruditionis, prudentie, integritatis opinione, aut etiam amplitudine potestatis in subditos, inferiores sunt, ut ex vera illorum expostulatione gravissima nota non uratur, & illi commendatio accedat ex Inquisitorum suffragio.

4. Itane tuis Parisiensibus Curatis (licet alias præstantissimis) adularis, ut eos Superiores facias Eminentissimis Cardinalibus Romanam, seu Italianam Inquisitionem moderantibus? Ergo Prælatos gravissimos Sacrae Italianæ Inquisitionis Præfectos, Præstantissimos Vros à Summa Inquisitione Hispanica in Siciliam delegatos, Sapientissimos Doctores, Theologos, Jurisconsultos, inter quos tui Sacri Ordinis plures doctissimi Magistri sedent; ergo, inquam, hos tuis Parochis æquales, vel inferiores existimas? Mirum: sed illud magis, quod addis (& etiam amplitudine potestatis in subditos) siue enim intelligas de multitudine subditorum, siue de amplitudine Jurisdictionis, inquiri, an plures sint subditi singulorum dictorum Curatorum, seu etiam omnium collectivè sumptorum, quam subditi totius Regni Siciliae, totiusque Italiae: & iterum inquiri, an Parochorum tuorum Jurisdictio, & amplitudo potestatis se extendat ad ea, ad quæ latè excurrit Jurisdictio Inquisitorum; Verum hæc ad meum Institutum non pertinent.

CAPUT XX.

De jurgis contra Doctrinam Tamburini; deque consequentiis impiis, quas ex illa male intellecta deducit Baronius.

1. PRIOR hujus Cavillationis pars ex se, & ex dictis ruit. Ex se, quia quæ sunt mera verba, vel jurgia, statim atque contorta sunt, languescunt, si Christiana patientia tolerantur. Ex dictis, quia jam in Superioribus capitibus hujus Opusculi germanas Tamburini sententias mecum ponderavi, approbavi, quæ quilibet non invidus lector. Et nota artificiosam Baronii amplificationem. Ea enim subinde vertitur circa illud Tamburini verbum (probabilitas tenuis) & in hoc §. 2. Baronius rursus dicit, quasi à Tamburino dictum sit (probabilitas tenuissima) Imò ut Rhetoricè gradum amplificet, vocat illam, solum tenuissimam probabilitatem, & nunquam meminit doctrinæ solemnis Tamburini, quæ ea tenuis probabilitas deiciatur ita ab opposita parte, ut jam amplius probabilitas non sit; sed jam de hoc in Superioribus dictum est aliquid c. 2. num. 9. & c. 9. num. 8. & in hoc num. sequenti, & iterum & cap. 23.

Expendenda ergo solum à nobis est pars posterior dictæ Baronio, hoc est, videnda sunt consecutiones impie, quas deduci posse ex Tamburini doctrina cavillari non dubitat. Ejus autem consecutiones in forma dialectica dispositæ hæc sunt in unico argumento, à me faciliore intelligentiæ gratia collectæ.

2. BARON. Ex Tamburino omnis tenuissima probabilitas sufficit ad prudenter, atque adeo ad operandum citrà culpam.

Sed Titius, V. G. habet tenuissimam probabilitatem de mortalitate, V. G. Anima rationalis; quis enim dubitat, esse de hac aliqua levia fundamenta, & consequenter adesse tenuissimam aliquam probabilitatem? Idem de Creatione mundi non facta à Deo. Idem de negatione existentie ejusdem Dei Idem de libertate arbitrii non concordante cum gratia, & similibus, quis enim dubitat, de his adesse aliqua levia fundamenta, &c.

Ergo Titius probabiliter, & prudenter operabitur, adeoque citrà culpam si assentiatur his propositionibus: Anima rationalis est mortalis. Deus mundum non creavit. Deus non est. Libertas non stat cum gratia, & similibus.

3. O Dialecticum excellentem! quia usum distinctionum non usurpasti, idè, in fallacias fæde lapsus es. Distingnenda enim est Major, & Minor tui syllogismi ex solida doctrina Tamburini. & sic respondendum.

TAMB. Omnis tenuissima, imò tenuis, imò mediocris probabilitas sufficit ad prudenter, atque adeo ad operandum citrà culpam, quando hæc probabilitas absorbetur ab opposita probabilitate, sicuti absorbetur Cincindela à majore luce, nego majorem, quando non absorbetur, concedo majorem.

Sed Titius habet tenuem, vel etiam mediocrem probabilitatem de mortalitate anime rationalis, quæ probabilitas non absorbeatur, seu deiciatur ab opposita probabilitate, nego Minorem; quæ absorbeatur, concedo Minorem. Idem dic de Creatione mundi, non facta à Deo, de negatione existentie Dei, de libertate non concordante cum gratia, & similibus.

Ergo Titius probabiliter, & prudenter operabitur, adeoque citrà culpam, si assentiatur illis propositionibus; nego, pernego, & quilibet non cæcus pernegabit impiam consequentiam, quia tunc non operabitur ex illa probabilitate, quæ jam dejecta fuit.

4. Quod autem in prædictis omnibus illa sunt levia fundamenta, quæ absorbeantur à solidioribus oppositæ partis, nulla est dubitatio, & fateatur ipse idem Baronius dum dicit, illa esse fundamenta levia. Audi Theologos, imò pro aliquibus ex his consule Metaphysicos; nam ab his illarum veritatum solidissimæ rationes explicantur.

5. Præterea cum fideles his, & similibus mysteriis constanter, & certissime assentiantur ex fide divina, non indigent abis fundamentis, & rationibus probabilibus, seu probabilioribus ad assensum illorum, quasi expectent, quod probabilitas major de his mysteriis absorbeat illam probabilitatem de opposita parte, siue mediocrem, siue tenuem: non, inquam, indigent: siquidem hæc certitudo fidei deiecit omnem probabilitatem cujuscumque gradus, qui possit opponi pro parte contraria.

6. Unum hinc denique moneo lectorem, ut vigilet, quando in hoc §. 2. repetit Bronius, & impugnatur propositiones eas, quas simul concessit §. 1. nam tunc senper erit recurrendum ad responsiones, seu ad explicationes nostras, scorsim in Superioribus Capitibus allatas.

(†:)

CAPIT